Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 927
Quelle:
Copyright:

&c. Quartae: *Sicuti a nobis dominus pro suscepti officii necessitate loquendi poscit officium* &c. Quintae: *Scimus quidem spiritualis militie cui nos mancipamus magnam esse in futuro remuneracionem* &c. Sextae: *Ad hoc ad illum locum conuenimus fratres, vt domino nostro vacare possimus* &c. Septimae: *Qui inter multos vitam agere constituunt, aut cum grandi fructu* &c. Octavae: *Si quando terre operarius et ruris cultor agrum suum seminibus preparat* &c. Nonae: *Videte vocationem vestram karissimi, venire ad heremum summa perfectio est* &c. Decimae: *Ait quodam loco sermo diuinus. In diebus sollempnitatum vestrarum affligite animas vestras* &c. Homiliae hae X. in *Bibl. PP. Lugdun.* T. VI. a p. 656. *Eusebio Gallicano* Ep. tribuuntur; notatur tamen ad marginem: *V. VI. IX. et X. Caesario adscribi.* Verum, cum idem omnium X. stilus sit, omnium autor *Monachus*, quem *Eusebium* fuisse non constat, constat autem fuisse *Caesarium*, et primo quidem *Lerinensem*, tum in *Insula* prope *Arelatem*, cujus etiam *Homil.* V. meminit, *Abbatem*, verius omnes X. ad hunc prae illo redeunt. Qua in sententia et Autores *Hist. lit. Galliae* T. III. in *vita Caesarii* esse video. Posteriores II. *Homiliae* T. VIII. *Bibl. PP. cit.* p. 645. et 855. inter *Caesarianas vigesima sexta* et *trigesima sexta* sunt, incipiuntque, prior: *Inter reliquas beatitudines, quas in ewangelio Dominus et saluator noster enumerare dignatus est* &c. Altera: *Beatus ac venerabilis pater vester religiosa quidem humilitate sed prope indiscreta suggestione postulat* &c. Clausula nobis rubro adjecta est: *Expliciunt sermones Cesarij Episcopi Arelatensis Aput aliquos vero intitulantur Omelie Eusebij Emiseni.* Addi poterat et *Eucherii* et *Augustini.* Non negligendus erit Codex noster, quamvis recentior, illi, qui aliquando, quod optat *Historia liter. Galliae suprac.* ad edenda *Caesarii Opera omnia* animum adjecerit.

II. *fol.* 15. Sermo *de Resurrectione Domini* in Psal. *Conuertisti planctum meum* &c. et, *Nisi dominus edificauerit* &c. Incipit: *Dicit Glossa. Domus est populus Dei* &c. Ad calcem rubro: *Explicit sermo de resurrectione domini factus in Aula Collegij Wyenn.* Nisi fallor, *Henrici de Langenstein* dicti *de Hassia*, cujus Sermones complures ad Academicos habiti in *Austriae* Bibliothecis extant, ut testis est *Bern. Pezius* in *Dissert. Isag. ad T. I. Thes. Anecd.*

III. *fol.* 21. *Incipit liber de Amicitia Cassiodori.* Initium: *Quoniam diminute sunt veritates a filijs hominum* &c. Finis: *nisi eam enormitas eliminet reatus. Explicit liber Cassiodori de Amicitia uera.*

IV. *fol.* 30. *Incipit liber Cassiodori de Caritate seu Dilectione Dei.* Subditur: *Liber primus.* Initium: *Sicut precedentia docuerunt, amicitia vera non est* &c. Finis:

eterna